



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

4. Quid fuerit, aut sit lapis oneris?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

ergo euenit, vt qui lapidem ponit alteri in offendiculum, ipse sui doli oblitus in eum incurrat imprudens; immò, vt qua re alium vincere voluit, eâ vincatur.

IV.

Zachar. 12. 3.

Quod vt intelligas, aduerte ex D. Hieronymo, quòd à Propheta Zacharia *lapis oneris* vocetur. Vetus enim, in Iudæa, mos fuit, S. Hieronymi adhuc tempore, obseruatus, vt in viculis, oppidis, & castellis rotundi lapides ponderis grauissimi ponerentur, quibus sese iuvenes exercere solitabant, dum eos pro diuersitate virium subleuarunt, alij vsque ad genua, alij ad vmbilicum, alij ad humeros & caput, nonnulli super verticem, rectis junctisque manibus magnitudinem virium demonstrantes. Addit, etiam Græcorum morem similem fuisse. Nam se in arce Atheniensium, iuxta simulachrum Mineræ, vidisse sphæram aeneâ ponderis maximi, quam ipse pro imbecillitate corpusculi mouere vix potuerit: cum autem quaereret, quidnam sibi illud vellet? responsum ab vrbis eius auctoribus, athletarum in illa massa robur comprobari; nec prius ad agônem quemquam descendere, quàm ex leuatione ponderis sciatur, quis cui debeat comparari. Talis lapis in aula quoque Monacensi monstratur, quem cum poëta, *partem haud exiguam* montis voces, sublatu, gestatus, projectus à fortissimo heroe Bauiariæ Duce.

V.

Math. 23. 4.

Qui statuit talem lapidem proximo suo in certamen, & virium certamen, *offendet in eo*, quia si videat, quòd tollere eum alter non possit, inueniet se ipsum imparem, ad eum tollendum. Nihil est frequentius, quàm vt alios contempnamus ob laborem, quem fugiunt, vel excusant, cum tamen eum ipsi perferre non possimus. Quo in genere superiores sæpe peccant. *Dicunt enim, & non faciunt. Alligant enim onera grauiâ, & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea mouere: & sæpe non possunt.* Itaque, si forte mutata, eadem facere jubeantur, tunc demum in lapidem offendunt, quem ipsi alijs posuerunt; & *lapis oneris* ostendit illis suam imbecillitatem, qui infirmitatem aliorum agnoscere noluerunt. Tertia similitudo est. *Qui laqueum alijs ponit, peribit in illo:* quod etiam Dauid voluit monere, cum diceret: *In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.* S. Hieronymus legit: *in rete isto, quod occulauerunt.* Clemens Alexandrinus,

Ecclesi. 27. 29
Psalm. 9. 16
Clem. Alex.
lib. 6. Strom.
cap. 1.